48 In aqua etiam istiusce diversitatis Animarum patet exemplum : igitur amara, ve dulcis variatione meatuum & cuniculorum. Nubes æquè pluit super arva : at imber aliud operatur in rosa, lilio, napis, rapis & cepis. Flores dicuntur animæ, iuxta illud *Eccli.* 39. v. 19. *Florete flores* : at flores in rusticis non florent : tellus obstat ingratissima & pugnax, ubi quasi sepulta iacet anima. Ad modum recipientis recipitur, ut ait D. Thom. 1. p. q. 75. *art.* 5. in *corp.* Unde in terra corporis, quæ florere debebat quasi lilium, pollet nasturcium. Secùs verò accidit in terra sativa, & elaborata temperie externorum, & internorum agentium. Quo intelligitur illud Salomonis *Sapient.* 8. v. 19. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus bonam animam. Sortitus*, haud quaquàm intelligas delirium Stoicorum, de quo supr. *num.* præced. nec quòd omnes animæ simul creatæ fuerint ab origine Mundi, & detrusæ pòst in corpora propter peccata, quod excogitavit Origenes, in cuius doctrinam invehitur Angel. Doctor 1. p. q. 118. *art.* 3. Sed quia ex affectione, & temperamento corporis, nactus sit Salomon ad scientias egregiam indolem, vel quòd in pueritia specimina dederit scintillantis ingenij. Quædam animæ sortiuntur corpora aptioribus organis, quædam ineptioribus: & quantò cuiusque corpus est melius dispositum, tantò quisque meliorem sortitur animam: uti ait D. Thom. ubi supr. q. 85. art. 7. Anima uti forma corporis ei, quòad facultates commensuratur. Felix haud erit qui corpore vasto. Bona patria fortuna est: beatus qui possidet. Totum sanè momentum discriminis pendet è varijs temperamentis telluris, parentum, alimentorum, regionum, locorum, aëris, ac temporum mutationibus, & vicissitudinibus.

Eccli. — Sapient. — *Animæ rationales non fuerunt simul creatæ.* D. Thom.

49 Si desideratur cognitio Nationum, & Gentium, præcipuè Europæ, cùm unaquæque indolem, mores, ingenia, studia, affectusque varios, & plerunque certum quid habeat, dotibus animi resplendeat, vitijsque laboret; videndus est Cornelius Kilianus Poëta, Ioan. Iacobus Broissardus, & Ioannes Barclaius in *Euphormione*, part. 4. Totius Italiæ populorum studiorum differentiam videris apud Petr. Andr. Canonherium in *Politica interpret. Aphorism.* Hippocrat. 2. Galliæ, apud Christophor. Longolium *Orat.* de *Laudib. D. Ludovici, & Francorum.* Græciæ apud Levinum de *Astrologiæ usu.* Denique consule Ioannem Boëmum. Modò ad seria, siquidem videor mihi in re confessa perdere operam : ista enim egi, cùm placuisset nihil agere.

Nationum studia. Kilian. Barcl. Canonhe. Long. Levin. Lemn. Ioann. Boem.

50 *Formavit igitur Dominus Deus. Finxit*: Hebr. Tigur. Complutens. & Oleaster. *Creavit* : Chald. *Fecit.* Tertullianus. *Formæverat*, Alij : *Hominem de limo terræ.* Syriac. & Maluenda, *Pulverem de humo.* Tigurin. & Lipoman. *Hominem terreum.* Complutens. Basilius, Tertullian. Origenes & Rufin. *Pulverem accipiens de terra. Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ.* Hieronymus, *Respiravit.* Aquila, *Insufflavit in nasum eius.* Vatabl. Caietanus, & Oleaster, *In nares eius.* Græc. *Spiritum vitæ.* Vatabl. *Spiritum vitalem.* Chald. *Animam vitæ.* Arabic. *Auram vitæ.* Septuagint. Venet. & Lippman. *Flatum vitæ.* Caietan. *Spiritum vitarum.* Onkal. *Flatum vitarum.* Tigurin. & Maluend. *Halitum vitarum. Et factus est homo in animam viventem.* Pagninus, & *fecit hominem.* Æthiopic. *Animal vivens.* Tertull. *In animam vivam.* Onkal. *Factus est in homine inspiritum.* Syriac. *In spiritum vitam largientem.* Caietan. *In animam vitæ.* Maluend. *Animæ vitæ.* Chald. denique. *Factus est homo in animam loquentem.*

Varietas lectionum.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. Excurs.

1. *Formavit igitur Deus hominem.* Si homo bonus, igitur formavit Deus.
2. *Deus hominem.* Claret studium in mirabili opificio : aliquando Deus homo.
3. *Deus hominem.* Accedit Auctor operi, verùm opus recedit ab opifice.
4. *Deus hominem de limo.* Mirum, quòd in limo Deum verum dignoscat homo.
5. *Deus hominem de limo.* Et innotescit in luto?
6. *De limo.* Mirifica extructio! Si frangitur, possibilis est conversio.
7. *De limo.* Et inflaris? Limus perfectò etsi levis.
8. *De limo terræ.* Estò terra purissima, non terra?
9. *De limo terræ.* Virginis gloria, quòd de terra, purissima.
10. *Et inspiravit*, ut fieret homo. Haud sanè homo sine Dei spiraculo.
11. *Et respiravit.* Invenit igitur in quo suspirando, requiesceret.
12. *In faciem eius.* Vocatio externa. Plerumque suaviter fortiter inspirat in corda.
13. *Spiraculum, flatum vitæ.* Hominis vita levissimus flatus.
14. *Spiraculum vitæ.* Quid si vita, sine vitæ spiraculo?

Et

15 *Et factus est.* Micat ratio, ergo iam homo.
16. *In animam viventem.* Viventem absdubiè, si haud vivitur insensatè.
17. *In animam viventem.*: Vivificante gratiâ, quæ vita vitæ.
18. *In animam viventem*, in propria dignitate: igitur vità haud vivitur deposito honore.
19. *In animam viventem*: Præstringitur vita religiosa, quæ caret vità.
20. *In animam viventem.* Eligatur igitur vita, qua vivat anima.

DIDASCACIA PRIMA.

Homo speculum Deitatis,

Plat. — Ps. 138. 6. — Senec. — Genes. 1. 26. — *Opus signat artificem.*

1 ITA plauditur à Platone in *Timæo.* Deus ignotus erat Deus. Patet in imagine; ac mirabilis eius scientia ex hominis formatione. *Mirabilis facta est scientia tua ex me* : decantat David. Vir erat iuxtà cor Dei, & claruit scientiæ divinę studiũ per hominem divinitatis speculum. Detrudatur ergo Senecæ placitum asserentis lib. 4. de *Benef.* cap. 3. *Nulla ex nobis utilitas Deo*: equidem invisibilia Dei, quæ iurè rationales mirantur; per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: præcipuè ex hominis formatione, ubi Plastes micat perfectissimâ imagine. *Faciamus* (ait) *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Formavit igitur : quænam utilitas Deo? Ipse homo. Parvi ne momenti videbitur, quòd hominem formaverit cunctorum præsidem? Solus Deus fecit hominem, ut homines meritò mirarentur Opificem. Quasi Deus absconditus secum sibi gloriosè vivebat. Incerta & occulta sapiẽtiæ suæ manifestare bonitas iustat. Modus aptior eligendus. Quotus quisque? Spectabile opus : facere ergo deliberet hominem; ut illum agnoscant stupentes imaginem. Opus enim proprium Dei erat homo, qui dignatus muneribus, dotibus, eius florebat imago. Feliciter Deus quasi voto potitur: intentum Conditor commodissimè assequitur. Nonne factum est multis tanquàm prodigium, cunctis portentum, quòd ad dignitatis apicem è pulvere erigeret tantum virum? Nulla Deo amplior consurgit gloria, quàm ex hominis fabrica.

Micat Deitatis gloria ex hominis fabrica.

2 Haud omnia, quæ scripsit Antiquitas curiosè insana, è libris sensati cordis sine delectu expungenda. Mens oppressa tenebris dictitabat, & mẽtis acumen nec caligo comprimebat. Sanè utcunque sicut tenebræ eius, ita & lumen. Tenebræ erroris (quia traditi in reprobum sensum) radios discretionis adnubilabant per gyrum; at lumen rationis nõ omninò sepultum. Quod notum est Dei, manifestũ est illis. Mala Hesperidum: quantum auguror) in hara invenies, si separavẽris pretiosum à vili.

Mythologia fabularũ utilis.

Acumen ergo significationis scopus sit mentis. Fornix insignis ad incredibilem usque admirationem Septimio Severo Romam ingressuro construitur; atque in monumentum victoriarum fastigium usque statuis venustissimè ornatur. *Consilij, & Iustitiæ* simulachra inter, statua Augusti Cæsaris eminebat : cæterùm epigraphe novà, scilicèt *Iulius Cæsar.* Ita refert Onuphrius Panvinius in *Topographia Rom.* Cuius, inquires, est imago hæc, & superscriptio? Quomodò Augusti Principis, dum monstratur Iulij Cæsaris? Sunt igitur idem? In regimine sanè. Haud inconsultò permutantur & tituli.

Nomen Iulij Cæsaris inditũ statuæ Augusti. — Onuphr. Panv.

——— *Neque enim de Cæsaris actis*
Vllum maius opus, quàm quòd pater extitit huius.

Ovid.

Accinuit Ovidius lib. 15. *Met. Fab.* 51. Non fuit, sed quòd pater extitit. Nactus est electione, quod non poterat propagine. Laus Iosephi Sponsi Virginis Deiparæ rutilat. Ipsa de Spiritu Sancto concepit, & peperit filium Deum. Iosephus pater extitit huius. Nullum maius quit excogitari præconium: negavit natura, & magis coruscat gloria; igitur haud amplior ulla in Iosephi commendationem, quàm quòd homo purus eligeretur in patrem.

Iosephi Sponsi Virginis eximiũ præconium.

Intentum Hieroglyphicorum fuit & *Iustitia* dotum electi ad Imperij dignitatem, & *Consilium* prudentissimum eligentis Augustũ, in ipsius dignitatis splendorem. Quis Cæsar fuisset, non qualis, ignorabant quàmplurimi, fornicem aspicientes : & dextrè imaginum invertuntur inscriptiones; ut ex instrumentis spectabilibus electi Augusti ad sublimioris principatus apicẽ, & illius commendarentur, qui tantum virum sublevavit in principem. Magna gesta Cæsaris, igitur dux est factus urbis, & orbis : verùm cum ex iustitia electi Principis, consilium clarescat suffragatoris; de Cæsaris actis nullum maius opus, quàm quòd pater extitit huius. In

Ex dotibus electi ad fastigium dignitatis, rectè arguitur eũ fuisse suffragatarii.

laudem illustriorum Principum commutata sunt nomina. Reliquerat Iulius speculum lævius, quo fulgerent strenuè gesta: igitur perspicuè videbantur facinora Cæsaris, & ingeniosè, in Augusti successoris absolutissima imagine. Sacra adeamus. Procùl este Profani: procùl ite nocentes.

3 Post ultimam cœnam. Paschate cum discipulis celebrato, transiturus ad Patrem Ingenitum ex hoc mundo Unigenitus Filius Dei, illis expressit mysteria occultiora fidei: nimirùm, Divinæ essentiæ identitatem, & Divinarum Personarum distinctionem. Identitatem, non in unius singularitate personæ; sed in unius Trinitate substantiæ. Distinctionem, quia licèt sint unus Deus (siquidem naturarũ diversitate non sunt discreti) Personarum sunt ad invicem proprietate distincti. Nunquàm sic locutus est homo. Sermo obscurus ivit in vacuum, cùm obtusa starent ingenia discipulorum. Tamen rudior Philippus Assertori dixit: *Ostende nobis patrem, & sufficit.* Observa: *Vidistis eum*; dexerat, qui mysterium Trinitatis exponebat. Haud sufficit Patris visio? Videre postulant ostensionem Patris, quem iam viderunt. Acumen obruit Augustini ingeniosa periodus, verùm mihi illius expositio Gordius nodus. Ita enim difficultatem dirimit *Tract.* 70. in Ioann. *Alij* (inquit) *noverunt, & alij non cognoverunt.* Quo tempore ex illis quidã viderunt, ut agnoscerent; & alios latuit Pater, ut non viderent? Thaboris, videor mihi, superiore cacumine, quando Christus cum alijs duobus visus est in maiestate. Adhuc in clivo difficultas. Pater, ubi discipuli circũdati luce, nõ est visus in Thabore. Nullo modo videtur: tantummodò vox auditur. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: & hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto*: ait oculatus testis Petrus *Epist.* 2. cap. 2. vers. 17. & 18. Ergo si viso Filio, Patris duntaxat perceperunt vocem; quomodò tunc Filium videntes, cognoverunt & Patrem? Proclive sanè.

Hunc Pater signavit Deus, dicens: *Hic est filius meus dilectus.* Hic est imago essentiæ meæ, splendor gloriæ, & figura substantiæ. Hic est, quem à me non separat Deitas. non dividit potestas, non discernit æternitas. Hic est filius meus, non adoptivus: non aliunde creatus, sex ex me genitus: nec de alia natura mihi factus comparabilis; sed de mea essentia mihi natus æqualis. Vide Leonem Magn. *Homil.* de *Transfigur. Dom.* Hic est filius meus. Filius est imago Patris, & speculum sine macula, quo cognoscitur potentia Genitoris: Christusque asserit, vidisse discipulos Patrem cœlestem & gloriam; cùm Filium vident imaginem adhuc in humanitate Divinam.

Liquet. Ostensionem Patris, ut cognoscatur, optat Philippus. At quid voto cœlestis Præceptor? *Tãto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* Benè Domine, sed quorsùm? Non tui cognitionem Philippus desiderat: te conoscit. Patrem videre satagit: ostende. Ad quid igitur tui notitia, ut Patris tui cognoscatur assentia? Aptè quidem. Filius exprimit, quem nullus hominum vidit: siquidem ex his, quæ oculus videt, surgit animus ad incognita, quæ non novit. Philippus Filium noverat, Patris cognitionem desiderat: & seipsum Filius ad huiusmodi cognitionem offert imaginem, exprimentem Genitoris perfectionem; ut qui viderit Filium, videat & Patrem. Ita respondet; *Philippe, qui videt me, vidit & Patrem.* Ad quid ostensio Genitoris, ubi perfectio videtur imaginis? Ego & Pater unum sumus. Claret igitur Patris cœlestis cognitio, ubi ita perspicuè specularis in Genito.

Hinc mens Augustini lucet. *Alij noverunt, & alij non cognoverunt.* Cur ergo? Absuerũt quidam a monte Thabore, quando indutus erat sicut vestimento luce: qui quidẽ imaginem perfectam non videntes gloriosam, Patris perfectam non habuerunt notitiam. Cognoverunt qui viderunt, sed Patrem non cognoverunt in Patre, sed in Filio, qui Patris rutilabat imago: etenim cognoverunt Genitorem, qui eius viderunt imaginem, splendorem gloriæ, & figuram substantiæ. *Ego sum*, sæpe dixerat Pater. *Exod.* 3. 14. *Ego ego.* Ose. 5. 14. de quo Nobis sermo *Tom.* 3. *Tautolog.* 6. in Thabore verò: *Hic est filius meus dilectus.* Cur non dicit modò *Ego ego*? Videtur in Filio: & invertit orationem, quia qui videt Filium, videt & Patrem. Ideo Moyses astitit in Thabore, ut videret gloriam, cum Deo dixisset, *Ostende mihi faciem tuam.* Potitur voto, dum vidit in Filio.

4 Lustremus cuncta, ut rutilet Patris gloria. *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis*, infit Christus. Haud mei adeptus est cognitionem, quisquis per me non venit ad Patrem. *Et amodò cognoscetis, & vidistis eum.* Ruit præceps intelligentia. Quænam horum temporum concordia? *Cognoscetis, & vidistis*? Mirum absdubiè, si illum intuiti fuerunt in maiestate: siquidem qui in mundo transfigurati ad cacumina elevantur, quantunvis videantur, nec agno-

Ioã. 14. 8. v. 7.

August.

2. Petr. 2. 17.

Matth. 17. 5.

Eu imagine perfecta patris, cognoscitur perfectio genitoris.

Vers. 9.

Pater videtur in filio, qui perfecta genitoris imago.

Ibid.

Cũ imago videtur, exemplar cognoscitur.

Matth. 17. 5.

Ibid. v. 3.

Exod. 33. 13.

Ioann. 14. 7.

Plerumque principij conciliarij invisi.

Luc. 9. 31.

In prodigio plus cognoscendum occultatur, quàm videtur.

Experiẽtia partuit, quod spes in digno concipit.

Matth. 17. 5. & c. 11. 18.

Electio cognitio, electoris patet cognitio.

Ioã. 14. 10.

Strenuitas regiminis, gloria eligẽtis.

agnoscunt, nec agnoscuntur. Meritò Eliam & Moysen huius gloriæ consortes, arbitror citra discrimen felices: etenim orbi novum est, quòd elati Synedri ab interioribus visi sint *in maiestate.*

Cognoscetis, & vidistis. Impropriè enim nectuntur tempora. Dicat ergo, *Cognovistis, & vidistis*: vel *cognoscetis, & videbitis*: igitur cognitio futura, & visio præterita palàm arguunt, discipulos non cognovisse, quæ viderunt. Utique. Prodigium haud comprehenditur oculorum primo iactu, nec præcipiti intellectus obtutu. Homo portentum videndo, cognoscit: at hoc est maius, quàm quod oculis patet. *Cognoscetis, & vidistis.* Magnum aliquod ex visione excogitastis: verùm cogitatione adhuc non pervenistis ad summum. Vidistis, & videndo cognovistis: veruntamen cognoscetis: quippe licet prodigij inest aliqualis notitia; plura, & amplioria sunt pro tempore cognoscenda. Non aliter imbuet operatio cognitione mentem, quàm oculi fulgoribus perceperunt visionem. Haudquaquàm pro captu vestro sunt attributa, cùm sublimiore mente sint superiora; igitur si multa speculamini ex his miris, quæ viditis; plusquàm cognovistis, cognoscetis.

Ulteriùs. *Cognoscetis, & vidistis.* Cur ergo? Mei sanè visio speciosa, Patris est perfectissima notitia. *Hic est Filius meus*: ait. Alibi, *Ecce puer meus, quem elegi.* Elegit Filium suum, & misit in mundum, ut regeret hominum claudicantem principatum: merita electi in dignitatem, proferunt in lucem cognitionis eligentem: & me modò cognito, oritur proculdubio Patris cognitio; quoniã per mei electionem factam, quam perspicuè vidistis, illum perfectissimum electorem cognoscetis. Mei utique adhuc non habetis cognitionem, dum ostendi conamini vobis Patrem: quandoquidem si me cognovissetis, quem vidistis; & Patrem meum utique cognovissetis.

5 Clariùs ergo. Pater usquemodò operatur & ego operor. *Pater autem in me manens ipse facit opera.* Mira fecit in regimine regni, etiam improbo labore: ita ut vel lassitudinem perpessus, præ amoris magnitudine non sentiret, ut ad meliorem mentem, & Regnum homines revocaret: unde vidisse Patrem, discipulos asserit Christus, dum ipse habenas regit inferioris principatus: etenim Pater manifestè cognoscitur, in ipsis prodigijs, quæ electus in regimine operatur. Pater in Filio manens, facit opera. Clarescit Patris electoris notitia. Electus & elector operantur in hominum commodum, ut constituatur inter homines novum regimen & Regnum: quapropter tribuitur eligenti, quicquid electus operatur prudenter in dignitate; ut per crebra miracula regiminis, comprobetur consilium prudentissimæ electionis.

Contemplare ly *Amodò*, siquidem emphaticũ. Amodò cognoscetis, idest, *Posthac*, vel *Postmodum.* Cur non modò, vel antehac, sed amodò, & postea? Quia terminus appropinquat. Opus Pater credidit Filio (ut per illũ salvaretur lapsus homo) & crucis opus; quippe ut par sit sub examen inferioris, præsidi debet esse dignitas onus Crucis. In ortu Regis, cui Pater dedit hæreditatem, & terminos terræ in æternam possessionem; miracula nova visa. In progressu etiam coram discipulis ostenta facta; quæ quidem maiora in ipso exitu facienda: & non dicit, *cognovistis & vidistis*; sed quæ *vidistis, amodò cognoscetis*: quoniam minimè cognoscitur superioris in regendo consilium per introitum, aut decursum; sed per exitum: igitur tunc clarebit cunctis, an oportuit, vel non, exaltari Filium hominis.

6 Deinde. *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus* (*electus quem elegi*, vertit Hieronymus ad *Isai.* 42. v. 1. ex quo Matthæus detumpsit testimonium. Magna in Versione frugès: sed hoc alias.) *In quo benè complacuit animæ meæ.* Eadem in Iordane & in Thabore. Stylus novus, verum cœlestis. Elegit Filium in Regem, quem homines rudi audituri erant Præceptorem. Non elegit, quia eligendus placuit, nec quia placuit eligere; sicut est hominum volaticum prolubium, eligendo successores ad placitum. Omnia munera dignitatis obeũda & subeunda, uti probabunt & acta: at Pater elector non dicit: *Hic est puer meus, qui mihi complacuit*, sed *in quo* assumpto ad munus, *complacuit animæ meæ*; quia constituentis, & constituti tunc temporis micat gloria, si videtur in prudentia electi electoris complacentia. *In quo.* Minimè, *in qua.* Hoc, gaudium constitutionis notat: illud, electi merita signat: & non in illa, sed in illo sibi Genitor complacet; dum Filium eligit: igitur electionis propudiosum gaudium, si electo defuerit ad munera meritum. Eligantur ergo dotes, ut homines in electione complaceant sibi, & non glorientur de molimine phantasiæ.

Ultrà. *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus.* Dilectus est, quem elegi, & filius. Non iure regni cerebit, quia mihi propius & proprius. Munia sequentur merita: & minimè proxima prætermittam, dum fuerint digna. Absurdum utique meriis proximiores, quia proximi, non assumere in culmina

Prudentia regiminis probat præsidis exitus, non introitus.

Matth. 12. 18. Hieron.

Matth. 3. 17. & 17. 5.

Rutila electi gloria in prudentiæ complacentia.

Dignus, quia proximus, ad munera non arcendus.

Probata electio, si suffragatur ratio.

dignitatis. Repellendos plerique perperàm censent, ut larvà rectitudinis, seipsos specie religionis iustificent. *Dilectus meus.* Dilectio sequitur filiationem, non constituit. Nulla igitur operatio voluntatis innotescit: sanèque licet filij, probatissima electio; dum non imperium voluntatis, sed tantùm intervenit conceptus intellectionis. Filius dilectus eligitur. Utique. Patris minimè est suspiciosa constitutio, cùm illius sit duntaxàt, quem genuit ratio.

2. Petr. 1. 17. Demùm. Gloria electi in Principem describitur, etenim sic effertur: *Accipiens enim à Patre honorem & gloriam voce delapsa ad eum.* Modò Pater cognoscitur, quippe filius honoratus videtur. Verùm quid filius in præfato sermone? *Vt glorificetur Pater* (init) *in filio.* Cuius igitur est gloria? Filij, vel Patris? Utriusque. Honor & gloria signantur, & singula indivisa dividuntur etenim cedit in gloriam Patris, quicquid filius accipit spectabilis honoris. Visio Thaboris amentabat subditorum oculos, in tantæ maiestatis splendorem allectos. Princeps assumptus, gloriosus dotibus, & honoribus videtur: & Pater in filio modò glorificatur; quia de mirificis nullum maius opus, quàm quòd pater extrìit huius.

Ioã. 14. 13. *Digni electio electionis est mediatio.*

7 Nota: *In filio.* Ostendit se cognoscentibus, electum, omni acceptione & maiestate dignũ. Filius proculdubio honoratur: & patent honor filij, ut in filio Genitor honoretur: quia cunctis dignissimi electio est expeditior eligentis commendatio. Perpende. *Ego elegi vos*, hoccine sermone post cœnam dixit Christus. Ad quid ergo? Dixerat dudùm: *Ut ubi sum ego, & vos sitis.* Constituti sunt Principes, ac in transitu ad Patrem nominat in Ecclesia successores. Non illos commendat, sed tantùm à se electos studiosè indicat: *Ego elegi.* Quid ampliùs? Memet glorificabit electus. In vobis me cognoscent. Vestra utique miracula dicent: nec tàm vobis, quàm mihi laudi, quòd vos elegi. *Ego.* Cùm vos iure meritorũ nanciscimini splendoribus principatus cacumen; plus mihi, quàm vobis operibus miris molimini laudem: siquidem per merita speciosa successorũ, innotescit gloria superiores eligentium. Thronus me, vosque inter indissolubilis. Elegi vos, ut ubi ego sum & vos sitis. Prima sedes primis meritis servatur: vestris ornatissimis instrumentis conceditur: & mihi auctori construitis sanequàm gloriam; cùm digni quidem per electionem accipitis sedem primam. Laus itaque amplior in distributione dignitatum, est electio illorum, qui nati fuerunt ad thronum.

Ioã. 15. 16. Ibid. cap. 14. 3.

Plus auctor agnoscitur in electo, quàm in seipso.

Prima dignitates meritis primis.

8 *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum* dixerunt Ierosolymis Magi, qui venerunt ab Oriente. Dignitatem enunciant. An quia viderunt stellam? Sæculi divinatio est: dignitatem enim obtinebit, qui stellam habet. Sidus novum novo ordine fulget in Oriente; ut corda subdat Regi mundus, & regi sæculorum, quem signat etiam splendoribus cœlum. *Vbi est qui natus est rex?* Aptè. Non, *ubi est rex, qui natus est?* Usuvenit regem nasci, & hoc construit cæca fortuna. Raro contingit nasci in regem, quod instruit sapientia: & ut reges erudiantur in electione, nati in regẽ vacant Magi solicitudini: quippe non inquirendus quem sors volubiliter designat; sed quem sapientia ornatissimè commendat.

Matth. 2. 2.

Eligendus, quẽ commendat sapientia, non fortuna.

Qui nati sunt reges, sæpesæpius nati sunt quasi non nati. Qui nati in reges, præsunt à natura constituti. Illi ab hominibus eliguntur: hi autem à prudentia destinantur. Illi amplectuntur dignitates: hos amplectuntur honores: & nequaquàm regis nati mentio fit, sed duntaxàt illius, qui natus est rex; ut minimè eligatur, qui in ipso amplexu dignitatem gravat, sed quem avidus honor sine honore desiderat. Præterea. Magi electi in reges, in Regnum natum inquirunt. *Qui natus est rex*, apposite asserunt. Natum priùs confitentur, quàm regem. Ergo priùs, quàm regem inquirunt hominem: Prudentissimè profectò interrogant; ut alios reges in consilijs erudiant: siquidem ipsi etiam electi in reges inquirunt hominem, qui natus est in electorum regimen.

Dignum honor desiderat.

Meritò superior electus in regimen natus.

Qui natus est rex. Sicut reges stella, ita Iudæos instruit regum mysteriosa clausula. Natus est rex? Auspicium. Non utique eligendus, sed honorandus. Haud crepera prudentia electionis, dum præcurrit expectatio singularis dignitatis. Plurimi Principes nati sunt in Israël: sed non inquirunt nationes, etiam si regum audiantur nativitates: & hunc tantùm quærunt, uti Principem summum, simulac fidere cognoverunt regis ortum; ut meritò princeps sit, qui natus est rex.

Scopo denique. Sapientes vocantur Arabiæ reges, dum sæculo videtur obsequium dedecus dignitatis. Regem inquirunt, inveniunt, procidentes adorant, & gratulabundi studijs officiosis exultant. Quid hoc? Sapientia? Herodi verò videtur crassa stultitia: igitur maiestatis oblivisci, coronas mittere, decorem exuere, omnimoda studia subditorum demonstrare; plus indicat nati regis gloriam, quàm adorantium sapientiam: & sapientes dicuntur, ampliorque titulo adoratione signantur; quippe plus honoris, quàm obtinet

Solissimi reges sunt principes, digniores in ministeris eligentes.

net assumptus in regnum, remanet his, qui agnoscunt natum ad thronum. Iure eligitur, dum eligitur, non quem formidant, sed quem adorant.

Psalm. 138. 50. 9 Comprobet adamussim propositum singulare, Davidis ingeniũ. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Quid ex Maria, si ex Davide scientia Dei mirabilis facta? Hæc est meritò sæculorum miraculum; igitur Virginis anima magnificat Dominum. *Scientia tua ex me.* Nunquid quia dilexit eum, qui fecit illum? Eximium porrò præconium, quòd Deum non dereliquerit factorem suum. Cur ergo ex formatione Davidis, claret scientia divini consilij, ampliore admirabili cognitione; cùm ex cumulo aliorum rationalium refulgeat studium, imò obsequium diversimodè eximium? Formantur namque homines dotibus & intimè & extimè, nõ aliter quàm imagines in varietate & ingenio picturæ. Certum quid in primis habet penicilli ductus, ut illicò ex tenuiore linea cognoscatur artificis manus. Genius in imagine vividè exprimitur, ac in opere singularis gratiæ summitas sigillatur: unde ex Davide, qui Dei absolutum opus, clariùs cognoscitur Deus; igitur per excellẽtiam operis, patet omnibus penicillus artificis.

Magnificatur Deus per Mariã.

Ex excellentia operis genius claret artificis.

Tu formasti. Quis ergo hominem ita eximium, nisi tu? *Me.* Et reliquos? Etiam. Verùm ex tabula egregie florida colligitur Conditoris sapientia; atque insertata dotum coloribus perfectissima imago, exprimit ubique cuius sit magnitudo: etenim in illa ita rutilat artificium, tanquàm in tabula, ubi summus artifex posuit manum. *Tu formasti me.* Nonne omne genus humanum? Omnium est enim artifex, verùm Davidem solummodò elegit. Sic enim ait: *Elegit David servum suum*: iureque ut opus peculiare micat hominibus, quem elegit ex omnibus. *Elegit David.* In periodo brevissima exprimitur divina sapientia: siquidem dum ad thronum dignus eligitur, auctoris excellentia in electione signatur.

Magnitudo auctoris ex electi magnitudine.

Psalm. 77. 70.

Eminet in electionibus constituentis ingenium; pravum, vel prudens consilium. Nemo enim facit, quæ non concipit. In tabula animata quiqui simulachrum depingunt: optima quæque artis ingenioso conamine exprimunt: & in electione Davidis Deus dicitur scientiã mirabilis; quippequàm per dignum fulgentem in throno, cognoscitur Dei recondita magnitudo. Ponit Deus super electum manum, hominesque mirantur in tabula ductum: & cor in pectore dignum in cacumine adorat, contuens libenter imaginem, quam Deus formaverat.

Et mirabilior ex electione dignioris.

10 *Tu formasti me.* Quia elegit? Sanèa singularis formatio fuit electio. Verùmenim utquid gaudet titulo formationis absolutũ suffragium constituentis? Deus eligit, Iesse David in esse constituit: ita plauditur filius Iesse. *Iesse autem genuit David*: dicit Matthæus. Quid ita influxus causæ univocæ defectitur in obsequium Primæ Causæ? Solutio difficultatis haud gravabit mentem inopem. *Iesse autem* (inquit perpensè Matthæus) *genuit David regem.* Intende. Homines minimè gignunt reges, sed homines: si reges producerent, nascerentur in fastigia dignitatis, priusquàm nati reciperent usuram lucis: quod quidem absurdum, cùm virtutibus solummodò pareat imperium: & gaudente Davide dignissimo solio, & ad unguem custodiente legem, manum superiorem, dicitur, hanc formasse rationalem imaginem; ut innotesceret res, formationem esse Dei, electionem hominis, qui natus fuerat omninò ad maiestatem regiminis.

Matth. 1. 6.

Deo vindicatur formatio ubi suffragia hominũ faceni digna.

Præterea. Deus elegit David: hunc regem format Iesse. Quomodò si construitur à patre, formatio regis in divinæ cedit ius electionis? Formatio principis undique spectabilis, ac egregia; si carent ob eximia merita libertate suffragia. Dum libere hac conditione eligunt, crepere eligunt, quippe causæ non suppetunt: & in præconium electi ad gubernacula iure dotibus assumpti, Deus in principẽ eligit; quem pater necessariò sine electione constituit.

Haud merita eximia, si gaudẽt electione suffragia.

Deus eligit, Iesse format. Non tantùm maiestas digne electi summè decorat electum, sed etiam suffragatorum consilium. Quò plus ad summum deductus, instrumentis præclaris ornatur; eò cõstituentium illustris prudentia dignoscitur: si verò ultra spem eligitur ad regimen habilis, electio plauditur cumulatè cœlestis: atque Davide regnante, Deo assignatur quod ab homine perficitur; quia fere semper huiusmodi consilium hominum suffragantium excedit captum.

Eligere aptũ ad regimen, eũ electio ultra humanam electionẽ.

11 Iam ergo scientia Dei mirabilis claret. David in regem natus in regimine fulget, In cunctis mirificus Deus miraculorum auctor: & in Davidis assumptione prædicatur mirabilior; quia nunquam spectabilior excellẽtia Principum, quàm in electione singularium meritorum. *Formavit igitur Deus hominem*: dicit Moyses. Nunquid alius Deus præter te? Nullo modo: quorsùm igitur, si liquet, describitur hominis constitutio? Quia Dei gloria hominis præclara merita. Deus homi-

Gen. 2. v. *Dei gloria, hominum præclara merita.*

hominem primum fecit: pòst, hominem homo gignit. Fecit hominem, & constituit præsidem: plerunque homines dotibus cæspitant, meritis celsioribus plus vacillant: & stultiose dicitur, Deum hominem fecisse præsidem; quoniam quis, nisi Deus assumeret ad dignitatem primum hominem? Nascitur hic homo, ut præsit. Merita clamant; quippe dotibus ornatur, eximijs instrumentis fulcitur, prudentia floret, sapientiâ fulget: si egregius, si illustris, si sapiens, prudens & bonus; ergò homo primus: igitur formavit Deus. Vide dicta *Tautolog.* 3. *Didasc.* 6.

DIDASCALIA II.

Via nulla est in via amori.

Otho Væn. 1 Dicit Otho Vænius *Emblem.* 47. *Amor.* siquidem Amor sibi solus sufficit.

Quidlibet audet amor. *Quæ non tentet Amor prærumpere opaca viarum?*

Ut portum obtineat, quidlibet audet Amor. Non sunt Dij fastidiosi, non invidi: admittit, & ascendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad homines venit: imò (quod propius est) in homines venit. Hæc Senec. *Epist.* 73. Nequaquam de Deo Incarnato valuit Stoicus intelligere, cui studium uti summum, stultitia videretur. Minimè excogitavit possibile factum: verùm amor iusit superborũ intellectum; ut illis perspicua, dilectione mirifica pateat, quæ nec somniando excogitare quibant. Nomen Dei non omnibus indicatum, sicut dicitur Exod. 6. 3. Prædicatur *Mirabile.* Iudic. 13. 18. Sed quale nomen? *Iehosuah* ait Mariana in Scholijs ad Matth. 1. 16. idest, *Deus caro.* Iure igitur prædicatur nomen incognitum, mirabilius: quid enim mirabilius, quam Deus homo? *Vocabitur* (ait Propheta) *nomen eius Emmanuel.* Felicitas hominibus cũctis prædicitur: quid sane beatius, quàm nobiscum Deus? Ad hominem venit, quia in hominem venit: còque rutilat prodigium, quò minimè cogitatum. Ad hominem venit; & in hominem (quod proprius) venit: at quorsùm? Ut homo ad Deum, qui venerat, iret. Distantia namque summa. Utique amori vel invium, pervium: & Deus apparet in mundo; ut homines Deos faceret factus homo.

Senec. *Deos?* Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes. Deos planè. Audi Senecam *Epist.* 41. gloriatione stoica. *Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in medijs tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex æquo Deos.* Idest (ait Iust. Lipsius hic) *Qui homines superat, Deos æquat.* Iust. Lipsi Semina in corporibus humanis (Stoice loquor) divina dispersa sunt: quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeũt; & paria his, ex quibus orta sunt, surgunt. Non æqualitatis homini ad Deum, sed similitudinis æmulatio est. Similitudo perijt per mandati primi transgressionem. Quia Adamus concupivit fieri Deus similitudine, polluit imaginem: & qui ex superiori loco cuncta videbat, placidus vel in medijs tempestatibus, felix etiam in adversis; patuit misere cupiditatibus tactus, ac periculis territus. Doluit artifex. Proh dolor! Instaurandum est dextre mirabile deturpatum opus: quod quidem decore & gloriâ æstimabatur feliciter ex æquo Deus. Omnia in via, maiestati devia; verum amori non abdita. Solus amor, vel nomen difficultatis erubescit. Omnia vincit, montes transfert. Homo Deus, si Deus homo: & Deus in hominem venit; ut homo lapsus ad Deum quàm velociter iret. Homo Deus, si Deus homo.

2 Vel in ipsis opificij umbris & sciagraphia, micabat humanæ propaginis lachrymabilis tragœdia. Ordinè nota. Ex viri costa formatur fœmina. *Ædificavit Dominus Deus costã, quam tulerat de Adã in mulierem.* Gen. 2. 22. Ex Mariæ divinizata carne formatur Christus, & mittitur nuncius Angelus. Novus fanequàm ordo. Primò ex viro producitur Eva: in fine sæculorum vir formatur ex Maria. Liquet nãque præsagium lapsus humani generis, & illius ecclo fortunatæ prorsus reparationis: siquidé fingitur ex viro fœmina, quasi in deterius ruituruus; & vir ex fœmina postea, ut clareat, genus humanum in pristinum statum restituendum. Ordo novus formationis in Incarnatione præfigitur.

Fortuna apud Antiquos fingebatur alba, & nigra, facie geminà. Huic adversa omnia, illi prospera quæque adscripserunt. *Bona* (inquit Vincentius Chartarius de *Imagin. Deor.* fol. 304.) *candido vultu, mala atro erat prædita.* Vinca Chart. Non habet in nobis fabula ficta locũ. Mors per Evam, vita per Mariam. Omnia adversa experimur à prima fœmina genitrice, quæ iacuit fusè denigratà facie. Cuncta prospera à Virgine-Matre sortitur humana propago, rutilante candore vel ab initio. Nova facit omnia: floret rationalis natura: & respirat lætabunda candido vultu, quæ gemebat, & dolebat lurido aspectu; quia quod Eva tristis abstulit transgressione, reddidit Virgo hominibus almo germine. Fortuna cur facie geminà alba, & nigra?

3 Cecinit in sacris epithalamijs dignata Sponsa. *Nigra sum, sed formosa.* Cant. 1. 5. Nigra per naturam, formosa per gratiam. Nigra & formosa?

Nequaquàm. Formosa eminet quæ fuerat nigra. Quomodo? Pulchra quidem vidit lucem omnigenis illustrata fulgoribus, intusque spectabilibus insertata charismatibus; quæ sane in frontem candidam venustissime erumpebant, ac in faciem speciosam candoribus redundabant. Latuit anguis sub herba, dum in horto procedebat sine cultu pulchriùs compta. Rumpebatur: decipulam specie divinitatis bracteatam (mille nocendi habet artes) occurrenti submittit, sensim abducit, illa procidit, candorem amisit, & nigra mansit. Heu! In perpetuum nigra? Perpetim deformata? Neutiquàm: Sors namque convertet vultum, cùm Hominis Dei natura pallida in terris nancisceatur aspectum: & modò gloriãter plauditur speciosa, quæ tot retrò sæculis angebatur ut nigra; quoniam adveniente Unigenito Patris in Virginem, natura crimine lurida restituta est ad candorẽ. Nolite cõsiderare, quòd fusca fuerit; faciem pristinam Sol Iustitiæ in terris decoloravit. Filius Dei Sol decoloravit fuscam naturam, dum accepit speciem.

Luc. 15. 22. 4 *Citò proferte stolam primam*, dixit genitoris, ob crimina in pectore haud dispunctus affectus; dum coram submisso vultu apparuit miserabilis prodigus. Ecce naturæ rationalis lapsæ ad vivum emblema. Dotem & clenodia luxuriose prodegit; ac propter mali saginã patrimonium ligurivit. Accessit humilis humiliata. Sat: Accedat. Induatur stolà: sed stola primã? Utique. In prima stola primus humani generis status designatur, & felicitas Protoparentum conditionis describitur. Prævaricatione cognoverunt se esse nudos; at aliquando cùm Deus homo, eleganter induendos: & minimè secundam disponi, sed primam stolam iussit pater præparari; quippequàm per adventum Verbi caro facti in candidam Virginem, deducenda erat natura hominum in primævam conditionem. Citò profertur stola prima: quandoquidem in pristinam felicitatem nostra est provectio, Filij Dei inaudita exinanitio. Natura nacta est per formationis gratiã, quicquid amisit per originalẽ noxam.

Senec. *Mortale cœlo non potest iungi genus?* Falleris Alcide: patebit via, qua feretur ad astra. Ecca.

Gen. 28. 12. 13. 5 *Vidit* (Iacobus) *in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ.* Perpende, ac oculum contemplationis in mysteria haud celeriter fige. Homo decũbebat in terra, ubi hærebat scala, quasi in imis; Verbum Dei iuxta plurium opinionem Patrum, innixum scale cacumini, tanquam in summis: sed invitans homines iacentes veterno transgressionis in terra; ut per scalæ gradus ascenderent potituri cœlesti glorià. Esto: dormientes & gravi corde amor invitat, & vigil excitat. Nec miretis: nobile hoc divinæ dilectionis insigne. Scala ut ascẽdant, hominibus patet, sed quasi non esset: siquidem haud datur locus hominum ascensioni, & descensioni; cùm descendant, & ascendant Angeli. Angeli? Angelis porrò non opus est (ut fruantur) scalæ adminiculis. Semper vident faciem Patris cœlestis. Homines verò sine scala ascendere minimè possunt: cur ergo etiam illam ad manum habentes, & volentes scandere; non ascendunt? Quia non valent: valerent profectò ingredi in illam requiem, si Verbum Dei descenderet suscipere humanitatem: & homines remanent, quin ascendant in avitam gloriã; quia Verbum Patris non descenderat in terram. Homines nequibãt ascẽdere in cœlũ, quo usque Verbum descenãit in mundũ.

Ad unguem utique: At scandunt? Modò ascendunt. Verùm quomodò? *Stupent Angeli* (ait Mellifluus Doctor Serm. 4. *Adventus*) *videntes infrà, quem suprà se semper adorant.* Homo in terra iacebat miser: Verbum Dei in summitate scalæ. Scala inversa est: & homo felix deducitur supra; quia Unigenitus Patris descẽdit infrà. Ingenium Divi Benedicti Patris mei argutè observa. *Non aliud sine dubio* (inquit Doctorum Doctor cap. 7. *Regulæ Sanctæ*) *descensus ille, & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descedere, & humilitate ascendere.* Periodus namque obscura; cæterum intento vel antithesi egregia. Descensus repugnat exaltationi, sicut opponitur ascẽsus humilitati: quo pacto exaltatione descẽditur, & humilitas descensu exaltatur? Patet in scala inversa per totum, huiusmodi planè miraculum. Nisi Verbum descenderet, homo nunquàm ascenderet. Ex Verbi divini descensu in inferiores partes terræ, deducitur exaltatio hominis ad thronum gloriæ: & descensu prodigioso scanditur, cùm filius in ima mittitur; quoniam citra discrimen exaltatus est homo, dum descendit Verbum Dei in terris ut fieret caro. Deus descendit, & homo ascendit: apparere dignatus est humilis; ut sublevaretur humani conditio generis: & descensus meritò à Benedicto vocatur ascensus; siquidem per descensum Verbi Dei homo floret exaltatus. Bern. S. Benedict. Quomodò homo supra, & Deus infra? Stupent Angeli considerantes ea mutata loca.

Stupent Angeli : dixit Bernardus. Et iurè: in fastigio ab ipsis adoratus, & veritus; manet in infimis paulominus ab Angelis minoratus. Homo, opprobrium bonis Angelis abundantibus, & despectio superbis dæmonibus, qui prostratus cubabat nudà tellure, coruscat felix in cacumine scalæ. Homo supra! Deus infra! Scala procul dubio est inversa.

sa. Deus utique descendit in hunc mundum, si homo videtur exaltatus supra cœlum. Stupeant Angeli, contemplantes infrà & suprà; siquidem vident commutata loca.

Chrisol. *Hominis exaltatio est filij Dei exinanitio.*

6 *Audistis in terris Deum* (succinit Chrysologus *Serm.* 142.) *in cœlis hominem collocari, sacramento incomprehensibili.* Quid mirum, quòd stupeant Angeli? Deus in terris! Homo in cœlis! Sacramentum incomprehensibile. Quomodò fiet istud? Mater Virgo scala est. Progenitores indicant gradus scalæ: homo lapsus præsignatur in Iacobo dormiente. Cùm descenderet Verbum, exaltandum erat genus humanum. Scalam divinus amor invertit, dum Virgo Deum hominem concipit: & homo humilis collocatur in cœlestibus, quando Deus exaltatus manet in interioribus.

Ibidem v. 16. 17

Deinde. Modò videtur gloriâ in terra nostra, cum in gloriam assumitur terra. Iacobus ergo experrectus denunciat. *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam ::: non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Quo in loco? *In loco isto*, ait: idest (ni fallor) in loco, in quo cubabam: & *nesciebam*: quia nec dormientis vota quibant concipere, Deum hominem posse concipi. Deum vidi innixum supremo gradu: modò verò in loco isto; in quo exul, & extraneus factus fratribus, consternatus concinnavi cervical ex lapidibus. Si Deus in loco isto, ubi ego? Profectò in summo: *Et ego nesciebam*: quia non noveram, ab amore invertendam scalam. Loca permutantur, ut homines sibi sorte gratulentur: in cacumine scalæ itaquidem micat homo; cùm sit Dominus omnium in loco isto.

Nec vota hominũ quibant concipere Deũ hominẽ posse concipi

Præterea. *Non est hic aliud* (infit) *nisi domus Dei, & porta cœli.* Porta cœli? Clausa est ianua. Centum æreì claudunt vectes, æternaque ferri robora, nec custos absistit limine Cherub. Etiam vigil somnias. Acue lumina: cœli videtur lucida porta? Videtur. In uterum Virginis, quæ mystica domus Dei, descendit divinum Verbum; & factum est verè in similitudinem hominum. Descendente Verbo in viscera Virginis, sublevatur ad gloriam conditio hominis: & regiam homo felix ingreditur aulam, quia invenit per Virginem evigilans portam perviam. Si non est hic aliud, nisi domus Dei Maria; quid mirum, quòd vel hominibus cœli reseretur porta? Per isthanc profectò scalam ascendit homo: verùm incôprehensibili mirifico sacramento: siquidem supereminet ad gloriam cœli deductus; qui iacebat ad ianuam eius mendicus, & ulceribus plenus.

Sors secunda humano generi à Virgine Matre.

Denique & aptius. Vidit Iacob in somnis scalam: evigilans verò locum illum extollit cœli portam. Excutit somnum, qui amplectitur dormientem, vel fovet adhuc adulantem soporem? Excutit, & vera gratulabundus hominibus astruit. Incarnatione Verbi Dei & conterendæ æreæ portæ, & confringendi erant vectes ferrei; ut pateret humanæ propagini cœli regia, cuius aditum concluserat & firmiter prima culpa. Homo potiturus erat regno (à quo expulsus fortem lamentabatur) si Deus homo propter lapsam stirpem videretur: & in cœlo vigil Iacob demonstrat apertum ostium, illicò ut somniavit Verbum Patris caro factum. Ideo Ioannes dicit: *Vidimus gloriam*; igitur obtinuimus & portam patulam. Homo quidem erigendus erat in amissam felicitatem; cuius conditio solicitum demonstravit auctorem. Summum ergo studium exprimitur in opificio. Propter hominem tantùm maxime exacta occupatio? Neutiquàm: aliquando Deus homo: nec amorem decebat, videre lapsam, quam Deus assumpturus erat, etsi luteam, nobilissimam naturam: & gratis à formatore conceditur reformationis honos, ne tantus labor videretur cassus.

Ostium cœli videtur apertũ, dum explorãtur in Virgine Verbum Patris caro factum.

Ioan. 1. 14.

Non solũ apertum sed etiam patulum.

7 Perpendamus adhuc inversionem scalæ. In illa præsignabatur hominum genus, igitur singuli Patriarchæ fingebant singulos gradus: ex quibus tanquàm ex nobilibus ramis coalescit liber generationis Iesu-Christi; quæ diversimodè, verùm sine discrimine, compingitur ab Evangelistis; ut constet, elevatam fuisse naturam hominis. Studiosè ergo astruitur distinctio, ut notetur reparatio. Matthæus incipit: *Liber generationis Iesu-Christi.* Christus Deus scalæ objicitur oculis primus gradus; Iosephus verò postremus; quoniam in viro Mariæ, seriem generationum, quam ad unguem texuit, meditanter absolvit. A summo scilicet, scalæ usque ad deorsùm. Lucas autem econtrà ab infimo gradu procedit ad summum. *Ioseph*, dicit, *qui fuit Heli*, & reliqua, usque ad Adam, *qui fuit Dei.* Quomodò ergo commutantur loca, ut modò Deus sit suprà, & homo infrà, modòque sit suprà qui lapsus, ac infrà qui excelsè colebatur ut Deus? Iacobus vidit Dominum innixum scalæ, quo ordine Matthæus incipit librũ generationis Iesu-Christi: quare ergo Lucas invertit ordinem, signans hominem tanquàm arboris cacumen? Egregiè: Scala Iacob visa est ante Incarnationem: gradus scalæ à Luca describuntur post assumptam à Verbo humanitatem: & modò homo videtur in cœlo, qui saucia tus plagis gemebat miserandus in mundo; quippequàm necesse erat, ut videretur suprà;

Matth. 1. 1. 16.

Luc. 3. 23. 38.

Homo videtur in summo, cùm Filius Dei in scalæ inferiori gradu.

suprà, si Dei & hominis, scalà inversà, commutata sunt loca. Concors ergo descriptio Evangelistarum, etiam in differentia descriptionum. Lucas signat prout ascendit ad gloriæ cacumen lapsus homo: Matthæus, præut descendit Filius Dei, ut fieret caro.

8 Hoc enim est principium mysteriorum, queis exponitur totum consummandum opus divina virtute: quin mira, magnifica appareant, ex suppositione primi miraculi ac pietatis suæ dispositionem sacramento Deus occultiore complevit; ut homo in culpam actus, contra Dei propositum non periret: atque salvaret genus humanum dilectionis indignum; quia singulare propositum. Unde quia artifex Deus adversus politiori operi; recóciliandam Auctori suo, Verbum Dei naturam generis assumpsit humani: ac apparuit, qui in forma Dei erat, formam servi accipiens dignatione, non conditione, in similitudinem hominum factus; ut pristinam libertatem alieno sanguine vendicaret sibi servus. At quid? Inclinavit cœlos & descendit: verùm homo ascendit modò proclive, quia inclinati sunt cœli? Quia de cœlesti sede, à paterna gloria non recedens, descendit Verbum; homo assumitur in summum. In summum? Fratrem Deum utique habet consortem laborum. Macte: at servitutem haud sublevat, socium habere pœnarum. Aliquantulum quiescet; siquidem cor dolet, quod oculus videt. Consortium sedabit pœnam, multis retrò diebus invisam; attamen servum afflictum nullatenùs sublevabit in gloriam: igitur si formam servi habet, & habitu invenitur ut homo; videre alium servum patientem & compatientem, nullo modo censebitur beatitudo. Arguetur namque, in te ras venisse Verbum Divinum, neutiquàm ad cœlos ascendisse genus humanum. Quid ergo dicemus ad hæc? Deus pro nobis, non econtrà. Lapsum hominis instaurat Maria, & ita (Deum hominem generans) restituit, quod lues originaria turpiter perculit; ut idem sit, Filium Dei in eius utero assumere humanitatem, ac extolli ad æthera lapsum hominem.

Ut homo non periret, decernitur Incarnationis singulare propositũ.

Ruinam hominis restaurat Dei Mater.

Excellentiam huius operis adumbratam in Sponsa, proferunt & mirifice divina Cantica. In coniugium Verbi natura humana pacisciturr, ac in utero Virginis fœdera denunciantur. Mirabile sanè mysterium: igitur in fœmina Sponsus constituit thalamum; cuius claustrum cùm videret Amasius, exclamat trabea carnis indutus: *Umbilicus tuus crater tornatilis.* Alij *Luna.* Alij *Speculum rotundum.* Vide Alapide hic. Alvus in qua Sponsus humanam conditionem ascivit, & naturam copulavit; erat speculum rotundum, crystallus concava qua explorabatur in forma humana alia natura in eadem divina persona, quæ fecit utraque unum, complectens mortale & immortale extremum. Singularis prorsùm conferentia! Ut oculis fidei rimemur inauditum arcanum, incomprehensibile mysterium, peregrinam charitatem Verbi Divini subeuntis hominem; aptiùs speculum planum: quomodò igitur umbilicus plauditur, quasi speculum rotundum? Vivide sane profertur similitudo; ut cóstet post Incarnationem, quid sit homo. Imagines (observa) inversæ in speculis cócavis videntur: ita commutatis, seu permutatis locis obiectorum; ut quæ deorsùm, sursùm & quæ sursùm explorentur deorsùm. Cœlũ in terra, terra in cœlo circumspicitur; dum ea ipsa repræsentata in concava crystallo oculus speculatur: & apposite venter puellæ baiulans Divinum in carne Verbum, insignitur tanquàm obliqua crystallus. & speculum rotundũ: quippe dum Filius Dei, qui in altis habitat, visitare dignatus est mundum; homo per Incarnationem, in terra iacens, tollitur felix in cœlum.

Cant. 7. 2.

Cornel. Alapid.

Cur venter Mariæ speculũ rotundum dicatur?

In illo videtur deorsùm quod sursùm; & sursùm quod deorsùm.

9 Viscera Sacra Virginis illibatæ Mariæ statera micant utriusque naturæ, divinæ scilicet & humanæ. Libra clausirum eminet gemina lance; ut homo æger potiatur cupita reparatione. Tota causa in hoccine cardine vertitur: ac opus spectabitur completum; si formatur æquilibrium. *Consistam in æquo*: inest epigraphe symbolo inclinatæ libræ: apud Silvestr. Petra Sancta de *Symb. Hercy.* lib. 1. Hoc opus: hic labor. Studium Deicatis perpẽdas, ut Mariæ excellentiæ corditus consulas. In honore maximo Deus Adamum miris dotibus, pulchris virtutibus, spectabilibus ornamentis, instrumentis venustissimis, gratiâ originali condiderat. Tantæ molis erat: siquidem quanvis ex materia lutea, argillaque concinnatâ (vel quia fragilitate pretiosior, tenuitate æstimabilior, aut amore lævior) factus est ad imaginem & similitudinem Dei, florens quasi humanus Deus; cui serviebat paradisus. Parem se Auctori confert natura, si æstimatur excellentia. *Non æqualitatis homini ad Deum, sed similitudinis æmulatio est*: ut dixi num. 1. ex Ambros. lib. 10. in *Luc.* cap. 22. Bilancem, & examine recto, videbantur construere quasi in æquipondio, pondera humanitatis & divinitatis; momentum æquante amore, superpondio dilectionis. Ecce spectabilis statera. Sunt (heu!) aliqua pondere graviore leviora. Prædicat cunctis Adamus, mala Hesperidum concupiscens: itaque appensus in statera, in-

Virginis uterus est statera Amoris. Petra Sanct.

Ambr.

Quomodo?

ventus est minus habens : siquidem lanx in qua positus, corruit, & aliam pondus gloriæ ad cœlum usque levavit. Accessit homo ad cor altum pondere criminis; & exaltatus est Deus ipsa gravitate ponderis. Deus habitabat in cœlo, homoque lapsus dolebat in mundo. Ille in gloria, hic in molestia. Ille in throno, hic in exilio. Non erit vulnus (quantumvis ex veneno serpentis lethiferum) medicabile? Haud librabitur æquè ut primitùs examen nobilis stateræ? Librabitur. Sed quomodò fiet? Fiet profectò mirificum opus; si in utero Virginis cõficitur humanæ, Divinęque naturæ indissolubilis nexus. Quicquid iure tyrannico sibi vendicavit Protoplasti noxa, ita in pristinam conditionem restituit Virgo Maria; ut in utero eius, mysterio prorsùs incomprehensibili, duæ naturæ inæquales, viderentur æqua lance: quin etiam ut notetur omninò felix culpa; signatur meritò natura humana exaltata. Exaltata? Quid miraris? In Incarnatione statera amoris facta sunt viscera Virginis: in libra descensus unius lancis fit superexaltatio alterius: & descendente præ pondere amoris in claustrum Virginis Filio Dei, ut fieret caro; apparuit deducta in altum inclinata lanx gravis, ubi erat homo.

Divina, & humana natura impares apprimè, in claustro Virginis vise sunt æqua lance.

Imò celsior humana in Virginis statera.

Modò intelligitur sine contrarietate pulchra antithesis stateræ, cognita & ponderata à Davidis examine, seu acumine. A facie Domini dilectionis exarsit ignis in reparationem humani generis. Vivus est sermo Dei & efficax, *Inclinavit cœlos & descẽdit*::: *ascendit super Cherubim & volavit.* Dixit Psalmographus Regius. *Descendit & ascendit*: Quid ergo? Verbum Divinum & homo. Uterque simul. Primi parentum transgressione descendente homine, ascendit Deus in bilance: Incarnatione Verbi (quod inauditum prodigium) Dei, & hominis constituendum erat libramentum: imò conditio mortalis sublimanda erat ad æthera, dum lãx divinitatis inclinaretur in libra: & David indicans generis faustam sortem, & mysterii altitudinem, quod cognovit; aptè profert, *ascendit*, & *descendit*: igitur illapso Dei Unigenito in Virginem; homo ascendit feliciter super Cherubim.

Psal. 17. 10. 11.

Filio Dei illapso in Virginẽ, homo ascendit super Cherubim.

Sola fuit mulier patuit qua ianua letho,
Et qua vita redit, sola fuit mulier.

Sedul.

10 Ne sepeliretur ab hominibus huiusmodi beneficiũ; vel in cœlo ab Abstronomis manet alta mente repostum. Finxerunt itaque *Libram* inter signa *Scorpionis*, & *Virginis*, seu Erigònes; ut placet Hygino in *Fabul.* cap. 130. quæ Icari filia, non *Virgo*, sed *Erigone* vocata, antequàm transferretur ad sidera. Unde Virgil. *Georgicorum* lib. 1. v. 33. Augusto mire blandiens cecinit:

Hygin.

Virgil.

Qua locus Erigonen inter, chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi iam brachia cõtrahit ardẽs
Scorpius, & cœli iusta plus parte reliquit.

Latet verum sub imagine falsa. Libram utique mysticè (etiam in æquilibrio) figurabant Deus, & iustitia originali præditus homo. Bilances sanè quàm admirandæ Deitatis dignatione, & hominis dignitate; cæterùm colubro erant, sagittæ potentis acutæ. Livore perculsus, Adamo suggerit, ut ascendat superiùs. Improvidè assensit; & lanx libræ cum labente corruit. Æqualitas evanuit, ac acto crimine, prævaricatoris lanx propensior erat virulento Scorpioni. Ni impleatur ruina; perpetuò manebit inclinata statera. Ut redeant prævaricatores ad cor, & expectetur in posterum æqua lanx; signum *Libræ* habet in cœlo commodam stationem, inter mortiferum Scorpionem, & Virginem: siquidem restauratura erat Dei genitrix, integerrima Virgo, quicquid detraxit honoris vafer Scorpio. Gravitate profectò sceleris, Deo in cœlũ aufugiente, corruit homo cum bilance: ruina cunctorum reparanda erat in Virgine: & per Incarnationem, qua in ima descendit Dominus; exaltatur in trutina miserum humanum genus.

In signo Libræ reparatio humanæ propaginis per Virginẽ indicatur.

11 Mysterium, quod ante constitutionem sæculorum decrevit consilium Trinitatis; patet mirabile in oculis nostris. Gloria in excelsis datur: sed iam habet homo in imis, quàm Deus in excelsis. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initiũ aliquod creaturæ eius. Genuit*, dicitur: siquidem gratia cùm fit quasi alia natura; homo lapsus velut à se distinguitur, propter gratiam, quæ Filij Dei Incarnatione obtinetur. *Genuit*: non *Creavit*: creatio est transitus de *non esse ad esse*: generatio de *esse* impuro ad *esse* nobile: atque nanciscimur pulchriorem essentiam, habentes eandem naturam; quia Verbo veritatis, per quod sumus, obtinnimus & gratiam. Nil eramus, dum sine illo fuimus. Verbum est caro factum; & creaturæ iamiam sumus aliquod initium. *Genuit*. Hæc est generatio quærentium Dominum: & *voluntariè genuit* Verbo veritatis; quia non sumus sufficiẽtes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: siquidem eius beneficia eximia, & præclarissima dona non fuerunt collata ex proprijs meritis; sed ex abũdantia superfluentis bonitatis. *Genuit* & *non*: quid est homo, quòd memor est eius? Visitatur, vel indignus? Visitatur Verbo veritatis in mysterio Incarnationis; ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis, *instaurare omnia* (homo videlicet

Iacob. 1. 18.

Per Mariam nãciscimur nobiliorẽ essentiã.

Gratia inimicis collata, prorsùs eximia.

Ephes. 1. 10.

cèt ut sit nova creatura) secundùm beneplacitum, quod proposuit in dispensatione plenitudinis temporum. *Instaurare omnia*: At quæ via? Spectaculum factum & Angelis, & hominibus, descendit Verbum in humum hominibus impellentibus ut homo ascenderet in altum, opus fuit, quòd Dominus esset nobiscum. Deus recessit, quia homo corruit. Haud fieri poterat instauratio, dum terra longè à cœlo, & cœlum adversum humo: & in Virgine pura instaurata sunt omnia; quia per momentum Virginis, æqualia micant & quæ in cœlis, & quæ in terris. *Glorietur frater humilis in exaltatione sua* (perhibet Iacobus, ubi supra) *dives autem in humilitate sua. Antithesis est*: ait Cornel. Alapide hic. Verùm expressit sine ænigmate amorem, cùm homo Dei Filium agnoscit fratrem. *Quis mihi det te fratrem meum*? optat natura humana in Sponsa. Ad quid? *Ut iam me nemo despiciat*: siquidem qui deposuit de sede potentem, frater exaltabit humilem. Cæterùm observa contrarietatis extrema; ut grati animi de tanto beneficio haud exolescat memoria. *Humilis* (inquit) *in exaltatione: dives autem in humilitate.* Quomodò humilis exaltatus, & dives abiectus? Humilitas minimè cõgruit celsitudini, sicut celsitudo palã contradicit humilitati. Quid est hoc? Humilis, & abiectus supplantatione pristina fuit homo: Filius Dei erat dives, qui excelsus sedebat in cœlo: & proiectus humi homo visus in exaltatione, quia Verbum dives apparuit in carnis humilitate. Descendit de cœlis instaurare omnia: in bilance, inclinata erat sui pondere facta vilis, humana natura. In Virginis utero, præ cunctis mulieribus illibato, construendum erat pia reformatione novus homo: illicòque gloriatur, qui lapsus mœrebat, mirabili exaltatione; ut visum est Verbum Dei vestitum mortalitate.

Iacob. 1. 9. 10.

Alap.

Cant. 8. 1.

Nemo iã despicit naturã, quã Deus assũpsit.

Homo manet exaltatus, quia filius Dei humilis videtur homo.

12 Idem epitheton conceditur charitati, quod gloriæ. *Pondus gloriæ*, dicit Apostolus. *Amor pondus*: ait Augustinus *tract. 26. in Ioann.* Intelliguntur modò inscrutabilia; dum eodem gnomone gaudent amor, & gloria: siquidem in trutina amoris, fabricata manu summi artificis, in utero candido Virginis Matris, idem momentum fuit, hominum terrigenarum excelsitas, ac Verbum Dei amoris pondere humanas inire vias: quippe, qui propensi erant gravi corde retrò in terram; assumpti sunt pennis dilectionis in gloriam.

2. Cor. 4. 17.

August. Cur non dur ap pellãtur Amor & gloriat

Iaspidis specie figuratur Soter N. Christus in Apocalypsi. *Similis aspectu lapidis iaspidis.* Aptè quidem: Iaspis constat duplici colore: & Christus gaudet naturà duplici, sed unica hypostasi. *Iaspis pulverizatus* (inquit Ioann. à Sanct. Geminiano ex N. Bercorio lib. 2. cap. 13.) *ulcera inveterata sanat.* Quænam hæc ulcera? Damna profectò quæ in ipso mundi exordio in nostris parentibus inceperunt. Egrè tulit Deus casum Protoplastorum, quos calliditas diaboli in ruinam impulit; & Filium suum misit, damna ligni ut solveret. Gloriabatur diabolus sua fraude deceptum hominem divinis caruisse muneribus, optimisque denudavisse dotibus, ac inaniter arbitrabatur, intuens pignore immortalitatis exutũ, se in malis suis quoddam de prævaricatoris consortio invenisse solatium: quin etiam nec tam operi fracto, quàm Auctori eximio insultabat expilator; quoniam quem Deus vehementer amaverat, subdolè in servitutem & tyrannicam redegerat. Unde Deus arcens mali contagium, ut remedium reis donaret; formam servi, ut inimicum fagacem allucinaretur, accepit; minimè utens virtute potentiæ, sed ratione iustitiæ. Obiecit, in conflictu pro nobis inito, mirabili & magno, eandem formam, eandemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem; ut ille qui superbè de naturæ ruina gloriabatur; per ipsam, quam vicerat, vinceretur: ac æger in lectulo noxæ obtineret valetudinem pristinam, pulvere iaspidis expellente vomicam. Vicebatur in capite morsus aspidis, & virus præsentaneum scorpionis: at neutiquàm vulnus insanabile charitati, quandoquidem & invium obvium amori.

Geminiano.

Verbum Dei cadit arte, quæ hominẽ subegit, diabolũ visit.

Amori vel in vium obvium.

Apoc. 4. 3.

DIDASCALIA III.

Quidlibet audet Amor.

1 GNome est apud Othonem Vænium *Emblem.* 47. *Amor.* Diximus præcedenti Didascalia de Amoris Divini inexcogitabili idea: modò verò de muneris forma, & exercitio mirificæ charitatis; siquidem propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Descendit de cœlis & propter nos homines, & propter nostram salutem? Sua interest, vel nostra? Nostra sanè. Quid ad illum spectat nostra salus, ut tanto errato, & languori de cœlo exhibeatur medicus? An quia ita languebat debilis viribus homo; ut minimè valeret, nisi medicamen descendisset de cœlo? Utique: verùm quid obicis, quòd iaceret languidus; qui luxu voluntario esse voluit infirmus? Opus erat Dei: quod licèt recesserat ab opifice, magni habetur ab Auctore: & operi deformato accessit pius; ne tãtus labor videretur cassus. Fluat profectò.

Otho Væn.

Nostra curat Amor, quasi interfuerit ipsius.

Si non Angelus, quid incommodi quòd periret homo? *Quia placuit oculis meis*, dixit in Samsone: non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, haud alia de causa, nisi quia placuit. An non licet illi, quod velit facere? Miserebitur cui misereberitur: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: & accepit visceribus misericordiæ cum humanitate omnem languorem; quia placuit subire propter nostram salutem. Nos eramus aliquando natura filij iræ, filij pœnæ, odio habiti & ioie: at ut coruscaret vehementer excellentia charitatis; de cœlo descendisse profectur propter nos homines: siquidem nunquam magis eminet conditio eximia favoris, quàm cum descendit in corda indigna inimicorum regis. Indigna porrò; quia non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus, salvos nos fecit: fecit, non quia homines placuerunt, sed quia illi placuit: igitur ut impertetur iustitia; collata gratia tantùm fuit orta ex divina clementia.

Judic. 14. 3.

Non ines ingratos Deus dilexit, quia illi placuit.

Unigenitus ergò qui erat in sinu Patris apparuit in terra pro nobis similis nobis passibilis. O nimia dilectio! Excelsus dominus humilia respicit: inimicos amplectitur? Si in altis habitas, a temetipso degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Quidlibet auget amor. Invertantur verissimo nobiliori intento carnina. Sic Ovid. lib. 2. *Metam. Fab.* ultim.

Non benè conveniùt, nec in una sede morãtur
Maiestas, & amor: sceptri gravitate relicta,
Ille pater, rectorq; Deũ, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
(Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumẽ)
Indutus faciem (hominis.)

Ovid.

Quænam enim & qualia sacinora hominum, ut eis sic ingens proteratur officium? Studia studijs rependere satagit amor. Ut ameris ama. At pro obsequijs delicta & irreverentia, sùt inimici, non diligentis officia. Si non invenit fidẽ, cur diligit perfidum hominem? *Delicta non videt vis amoris*: ait Chrisologus *Serm.* 3. Si respiceret Dominus pectoris duri, cervicosiq; crebras ingratitudines, abstinuissent hon ines. Vehitur amore, non videt perspicaci charitate: igitur si ab homine afficitur, uti solet, iniuriã; ut delcatur offensa, haud ponderat gravitatem peracti criminis, sed naturam attendit quassatam hominis.

Chrysolog.

2 *Præteriens Iesus* (ait Ioannes) *vidit hominem cæcum à nativitate. Præteriens*: quia maiestatis Principum gloria, ut vel obiter conferantur beneficia. *Præteriens vidit.* Minimè ut alibi alius cæcus clamavit. Etiam non interpellatus advenit; beneficia equidem deflorant preces: & ut spectabilior ratilaret gratia; supplicis etiam præcucurrit vota. Antequàm invocaretur, ecce adest; ut nequaquã tribueretur largitio clamori supplicis, sed benevolẽtiæ Principis præterentis. *Præteriens vidit*: norma igitur exhibetur præsidi, ut mala visa restauret, dum præteriens vel audita prætermittit. *Radicitus ea, ut prævalent, amputet*, cap. 2. *Regul.* commendat Divus Benedictus. Ideo quando sanitati restituitur cæcus, dicitur: *Et præteriens Iesus, vidit*: non vidit hominem cæcum ut præteriret, præteriret ut videret.

Ioan. 9. 1.

Principis obvia gratia.

S. Bened.

Qualis actio præsidis visitantis.

Præteriens Iesus, vidit hominem cæcum. Intende. Si homo cæcus erat, & cæcitas hominis in medici corde cõpassionem impulerat; cur Evangelista non astruit singulariter, quòd Iesus viderit hominis cæcitatem, sed cæcum hominem? Primò occurrit cæcitas, ad quam protinùs accessit charitas, ut vindicaret oculos ab iniuria naturæ, quam passus fuerat cæcus à nativitate. Alios, quia cæci non erant, prætribat: ergo huius cæcitatem circumspexerat. Quare igitur primodùm non cæcitas, sed hon ovlus; si obviam venit luminibus homo cæcus? Deinde. Sufficiebat dicere, *Vidit cæcum*: uti dicitur Marc. 8. 22. Subintelligitur homo, si cæcus; quoniam Deo non est cura de bobus: ut quid igitur exprimitur homo, in miraculo à sæculo non audito?

Dilectio contemplatur hominẽ, & minimè delinquẽtem.

Cæcitas (ut constat) est expressio peccati: ideo de cæco, an peccaverit, interrogarunt discipuli. Si priusquàm videret hominem, aspiceret cæcitatem; priùs occurrerent peccata iustitiæ vindici, quàm natura fragilis auspicatrici clementiæ. Excusationem sanè solicitat criminis, qui parcere intendit irreverentiæ peccantis: ac primitùs homo inspicitur, quàm cæcitas sceleris, ut par est, consideretur; quippe in offensa (dum iram stimulat patrata noxa) potius contemplatur hominem fragilem, quàm plerumque delinquentem.

Ulteriùs. Priùs obvius cæcus homo, quàm homo cæcus, indicabat priùs visum fuisse crimen; quàm hominis detentam debilitatem. In cæcitate, appãrebat pervicacia ingratitudinis: in homine, ostendebatur infirmitas conditionis: & in nexu specierum simul obviarum, amor vehitur specie hominis, & minimè cæcitatis; quoniam primùm in scelere cogitat lubricam debilitatem, quàm vilem hominum & crebram ingratitudinem. Signare hominem, est hercè exprimere, quantum vis nobile, lutum, & pulverem coagulatum; ita conditione fragile, ut frangatur vas solidius motu levi. Signare cæcum,

Specie ducitur fragilitatis, & non ingratitudinis.

cum, est ostendere malitiam urgentem ad vindictam, etiam clementiam: & in articulo supplicij, vel remissionis cæci hominis, trahitur ultrò charitas specie hominis, & nõ tãtummodò cæci: siquidem ut amor excuset, semper lumina spargit in fragilitatem luti.

Perpende. Non dicit Evangelista, *Cæcum hominem vidit*, sed *hominem cæcum*; ad exhibẽdum, vel offensus in singulari medicina prodigium. Si oculi raperentur cæcitate; cæcitas transgressionis corriperetur in homine. Misericordiã intendit, qui primùm hominem vidit: & ut rutilet æstimabile quoquàm beneficium; hominem, dicitur, iudicẽ & medicum vidisse lumine orbum: quandoquidẽ amor non ut castigaret hominem, vel præteriens aspexit cæcitatem; quinimò ut sanaret cæcitatem, studiosè vidit hominem.

Delicta nõ videt vis amoris.

3 *Mundi sunt oculi tui* (Domino exercituum dicit Habacuc) *ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris: quare non respicis super iniqua.* Iam dixerat: quia *mundi sunt oculi*: & illi nesciunt, quæ nec corde concipiunt. *Abraham simul* (cum Angelis) *gradiebatur, deducens eos*, contra Sodomam scilicet, *ne via errarent*: inquit Lipoman. in *Catena* lection. 4. Angelos Abraham studio comitatur? Haud comitas, licèt obsequio fiat, sed necessitas. Deducit in Sodomam, signans sanè eorum sapientissimam nescientiam: devium igitur est iter Sodomę Angelicæ puritati. *Via*, quoniam Angeli errarent profectò, in itinere non trito. Unde egregiè Poëta de ignorantia Dianæ, uti immunis scelere, decantavit, *Metam. lib.* 2. *Fabul.* 5.

Habac. 1. 13.

Gen. 18 16.

Lipom.

Nobilior scientia est erroris ignorantia.

Et nisi quod virgo est, poterat sentire Diana
Mille notis culpam: Nimphæ sensisse ferunt.

Ovid.

Dat Sapiens cor, ut sciat *Prudentiam, atque doctrinam, erroresque & stultitiam*: siquidem præclarior scientia est erroris ignorantia.

Eccles. 1. 17.

Modò enim præfixæ auctoritati. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum.* Non quia non videt, sed quoniam connivet, quasi non videret. In homine invenitur malum, quod quidem illicò postulat supplicium. Clamor peccatorum ascendit, amor indulget: & ut exerceat in homine peccatore cordis pietatẽ; oculi mundi nequaquàm vident malum, sed solùm hominem.

Charitas nõ intuetur offẽsam sed naturã.

Deus scit utique vel cogitationes hominum vanas, quas crebris erroribus confingit stultè fatuitas: & Sapiens in corde conciliat errores & doctrinam, stultitiam & prudentiam; quia omnis doctrina eximiæ charitatis (ut prævaleat in prævaricatoribus stimulus pœnitudinis) haudquaquã est ut sapiens sciat, sed ut doctissimè nesciat: nõ ut sapiat, sed ne videat: quasi nesciens scienter errores & stultitiam criminum; sed tantùm in stultitia, ut videat naturam hominum.

Non scit scientiã, sed ignorantiã.

Vide: In Sodomam proficiscitur, ut cunicti perfidi habitatores sulphure consumantur. Invitus trahitur. Ni clamor impelleret, nullo modo veniret. Descendit: mensæ amici appropinquat, an bilis colloquio quiescat: crimen instat, & in viam deducitur; quia nescit tramitẽ punitionis, ni ab homine ditigatur. Erraret utique in via, uti amori omninò devia: siquidem scientia amoris, est ignorantia criminis.

Scientia amoris ignorantia ingratitudinis.

4 Immoremur in Prophetæ auctoritate, ut ampliùs charitatis rutilet abundantia divinæ. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum* (ait) *& respicere ad iniquitatem non poteris.* Respicere, cognoscere est: non cognoscit? Vis amoris delicta non videt: at cùm deliciæ ipsius sint esse cum filijs hominum, & obstet malitia criminum; amovet quamprimùm clemens iniquitatem, ut videat, & non videat iniquum hominem. Malum pulsat, & excitat iustè vindictam, fragilitas conditionis misericordiam: malitia stomachum commovet, amor indulget: & ita oculos scientiæ perspicaciores obducit, ut respicere ad iniquitatem minimè possit. Separat discretio pretiosum à vili, in humana pœnis conquassata conditione; & cùm attendat ad pretiositatem hominum; nullatenùs videt malum.

Ut intẽdat in pretiositate hominum, nõ videt malum.

Diligenter perpende. Cæcus quidam adducitur ad Iesum, cui dixit: *Quid tibi vis faciam?* Si cæcus est, Domine, videre. Interrogat, ut cognoscat neminem adipisci salutẽ, nisi confiteatur cæcitatem? Altior prorsùm doctrina. Hominem utique videbat & cæcum: cæcitas peccatum est: & interrogat, quid vult; quia non videt malum hominis, ut exerceat officium congenitæ charitatis.

Marc. 10. 51.

Ore confessio fit ad salutẽ.

Demùm consule, quod infit Propheta. *Respicere ad iniquitatem non poteris: quare non respicis super iniqua?* Quia non potest. Quomodò potest respicere, quod respicere dicis, minimè posse? Potest, & non potest respicere: siquidem cùm iniquitas sit in homine; propter philtrum hominem, respicere non potest iniquitatem: igitur si respicit quod respicere non potest propter odium, quod semper habet in malitiã cæcè prævaricantium; non respicit ad iniquitatem ut castiget, sed ut vel aspectu emendet. Quàm aptè S. Benedictus *Regul.* 2. cap. 64. ubi de Superiore dicit: *Oderit vitia, diligat fratres*: de

Iniquitatem videt, ut emendet.

de quo Nos aliàs. Imprecatur Propheta respectus obtutum; quo destruitur tanquàm fulmine peccatum: quippe nulla societas luci ad tenebras criminis, cùm ante faciem illius deficiant & statim peccatores. Dextrè exclamat Propheta, ut respicere valeat super iniqua; quoniam si solo intuitu expellit divina charitas crimen; non poterit, etsi intendat, respicere iniquitatem.

Super iniqua respicit, dum respicere non valet; ut non respiciat iniqua. Respicit super iniqua, ut deleat; siquidem iniqua respicere non potest in homine, ut illum diligat. Odit crimen, quoniam non Deus volens iniquitatem. Hominem respicit, si delet iniqua hominis, ut accedat gratia compulsione pœnitudinis: & precatur Habacuc, Deum super iniqua, quæ non respicit, inijcere oculos; ut respicere possit lumine charitatis super iniquos.

Iniqua respicit, ut nõ respiciat.

Et respicit? Certocertiùs. Iniqua hominum acuunt gladium æquæ vindictæ, ac hebetant aciem oculorum clementiæ. Ingratitudo impellit, & amor opprimit. Bonitas trahitur, vehitur, retrahitur. Retrahitur à benevolentia, transgredientium pervicacia, beneficiorũ officiorumque sepultà memoriâ. Vehitur suapte benignitate, ut delinquentibus parcat, & demerita flagitiorum haud respiciat. Quid ex iurgio, summe Deus? Inter ingratitudinem cordis usquequaque delinquentis, & charitatem propensiorem in homines; ita rutilas misericors, suavis & mitis, ut respicere ad iniquitatem nequaquàm poteris.

Qualis sententia litis ingratitudinis vehit, & charitatis?

5 Intende in contextum curationis hominis cæci nati. *Et præteriens Iesus, vidit:* Ioannes ait: & coniunctio est: historia subsequens coniungitur præcedenti sermoni. Lapidare illum intenderant Iudæi protervi, etiam in templi testudine. Exivit ergò de templo, ubi excogitatum flagitium; & præteriens Iesus, vidit hominem cæcum. Historia eadem est. Exprimitur in cæco, quod patratum in delubro. Pertulit blasphemias, exivit & offensus de templo, accessit charitas: ac pro audaci scelere utitur vel Iesus excusatione; quia præteriens, vidit hominem cæcum à nativitate.

Ioann. ubi sup.

Vidit in templo furentes, & consilio teterrimo malignantes. Extrà vidit causam extremi furoris, considerans audaciam cæcitatis. Si pertransiret sine gratia cæcum; clementiæ videretur prævalere convicium: & mitis (licet iniurijs violatus) repulit cæcitatem; ut se exhiberet etiam delinquentibus operosè clementem: quandoquidem confert libenter misericors gratiam, vel cogitantibus obruere saxis placidissimam clementiam. Similis huic videtur articulus cæci militis, patiente Magistro in cathedra crucis. *Unus lancea latus eius aperuit*, dum spiritum diris cruciatibus valido clamore emisit. Vel mortuus ab hominibus læditur, verùm amor vel in mortuo non extinguitur: siquidem dum lanceam miles lateri figit; oculos lanceam infigentis aperuit: & ostendit clementer patulum pectus, altum solicitanti pectore vulnus. Discite homunculi devorare iniurias; quamquàm adversarij infesti contorqueant hastas. Ille qui summè offensus, & gratis, elargitur beneficiũ curationis; etiam iacientibus in benefactorẽ præ cordis incurvitate mitiores, sed durissimos lapides. Prætermittit igitur iniurias hominum, propter pietatis nobilissimæ obsequium.

Confert amor gratiam etiã explicatibus clementiã.

Ioan. 19. 34. *Etsi mortuus lædi tur, amor in mortuo non moritur.*

6 Contemplare Latronem de cruce clamantem: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Il icò ut dixit, Dominus etsi attritus doloribus, supplici libello respondit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ultra spem supplicantis contulit gratiam, & æstimabilius beneficium; quippe memoriam tantùm petierat, & cùm venisset in regnum. Si ita faver & Latroni, dum crucifigitur; repellet supplicem, si gloriosus spectatur? Auditur Latro: at quomodò auditur? Blasphemus fuit: asserunt Euthym. in *Matth.* 27. Origenes *Tract.* 35. in *Matth.* & alij quamplures: igitur Evangelista loco citato v. 44. ait: *Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Blasphemo statim conceditur beneficium; & abdicitur penitus importunum improperium? Non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur: & continuò gratiam Mediator Dei & hominum elargitur; ne morulà concessionis pœniteret pœnitudinis.

Luc. 23. 42. Ibid. v. 43.

Euth.

Origen.

Matth. 27. 44.

Statim igitur amplectitur, ut supercxaltaret misericordia iudicium. Blasphemia offenderat, cui modò supplicat. Iniuriæ nuper illatæ mordicus hærent, & bilem instanter in violatorem commovent. Ictus igitur indecori utcũque improperij, spatij nequicquam suppetit libertati. Acriùs enim vulnera dolent, quæ suaviter non tempora mulcent. Eminet facinus eximiæ charitatis, ubi recens cogitatur causa doloris: ac Christus gratiam illicò confert, nec iniuria differt; ut ingẽnium amoris innotescat, & Latroni, & qui dudùm ipsũ benefactorem blasphemaverat.

Amoris beneficia promptum.

Etsò recenter illata prætermittitur iniuria.

Ratio in regula amoris liquet. *Quis legem det amantibus? Maior est lex Amor est sibi:* dixit Sever. Boëtius lib. 3. de *Consolat.* Metr. 20. Lex, quia iustitiam tuetur & intuetur, contumelias severè castigat: amor lege peculiari proclive condonat, non par pari refert, fert, sed oblivione remittit; imò in fidẽ impunitatis sceleris, munus traditur dilectionis. Si oppidòquã clamavit Latro de cruce, non exaudiretur, etiam ab offeso Rege; causa spectare videbatur ad iustitiam, nullatenùs ad clementiam: & cùm vehementiam amoris in homines ostendere velit, vel cùm lacessitus dolet; etiam petitus iniurijs, propter amorem oblivisciturlegis.

Boet.

Maior lex amor est sibi.

Oblivisciturlegis. dum à vili & scelesto homine contumeliosè tractatur. Dudùm non cognoverat maledicus, in quem immeritò surgebat contumeliosus. Cognovit, gratiam petijt, & Rex quanvis offensus, inimicum, ut amicum obvijs manibus admisit; ut scirent deducti ad dignitatis fastigium, convicium inimicorum ex animo & memoriâ deponendum: quippe dedecet Principem regere, & privatus iniurias larvâ potestatis vindicare. Animus iurè censebitur propudiosus, si in maiestate ulciscitur, qui is privatè læditur.

Dedecet superiorẽ regere, & privatas iniurias nõ cõdonare.

Ad rem quidem. Sustinuit opprobrium facies, cuius non erat aspectus. In medio contumeliarum non commovetur. Audet accedere ad thronũ gratiæ non timidus Latro; quam arte obtinet, priusquàm Principem videret in regno. At scelera? Memoriam fugiunt. Pravi mores? Evanescunt. Iniuria in Principem? Blasphemia in Divinum Regem? Amor sustulit, sed condonavit. Geminæ leges in causa Latronis instant: iustitiæ ut luat pœnas: ac amoris, quæ decernit condonandas. Amoris, propter fragilitatẽ conditionis humanæ: iustitiæ, ob exactionẽ animadversionis publicæ. Quale ergo iudicium? Integerrimum: ut amor vidit supplicem hominẽ, iustitia perspicax non vidit iniquitatem. Sed quare? Dicemus *Didasc.* 6. Simulac Latro clamavit, Dominus misericors exaudivit: suggessit, ut peteret; ne gratia tribueretur largitori, sed humilitati supplici. Suggessit, ut peteret: siquidẽ (qnãvis avolẽt) salutem hominum solicitat; priusquàm quorum interest, illum exquirãt, ut feliciter habeant.

Propter charitatẽ videntem hominẽ supplicem iustitia nõ videt iniquitatem.

7 Salus hominum descendit in mundo; ac ad opus suum exiens, invenit hominem, uti erat paralyticus in grabato; quin ullus porrigeret manus, ut erigeretur è lecto. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognovisset, quia iam multum tempus haberet (& languidus ignorabat, quandoquidem oblivio imminẽtis discriminis meritò iudicatur accessio voluntariæ febris) non interpellatus accessit medicus, & valuit languidus, prestãte longè multumque gratia liberalitatis, quoniam abfuerunt penitus preces languentis. Vindicavit igitur hominem à molestissima, quam passus fuerat tot annis, infirmitate, & recessit à languente; nè videretur ingratũ concessum beneficium, onere iusto, & levissimo gratulationum. *Posteà invenit eum Iesus in templo*: dicit Evangelista. Verùm observa, cur si Iesus & qui fuerat paralyticus mutuò occurrũt, non paralyticum invenisse Iesum, nec infirmũm medicum; sed cælestem medicum invenisse, perhibetur infirmum? Inquirere oportet, cuius interest, siquidem utilitas inquisitionis magni refert. Satagit enim de inventione medicaminis, quem pungit acerbitas stimulantis doloris. Præstare igitur egenti medicamina, quærente languido, medicum; iudicatur iurè quidem beneficium: non inquisitus, occurrere ex industria languenti, est arsmedici erudita ab amore: quoniam charitas, quæ benigna, non quærit quæ sua sunt, sed aliena prorsùs commoda: ac confultò dicit Ioannes, Iesum invenisse infirmum, nequaquàm languentem quæsivisse medicum; quia insigne charitatis supereminentioris in hominem, est quærere iucunctanter etiam fugientem.

Obliviõ lãgueris voluntaria febris.

Ioã. 5. 14.

Accedit auctor operi, licèt opus recedat ab opifice.

Nota. *Declinavit Iesus à turba*, simulac fruebatur languidus valetudine, tot diebus desiderata. Cogitavit paralyticus incognitum benefactorem esse inter turbas, ut prædicaret collatam salutem; & in templum iam validus declinavit. Medicus declinat etiam, dum ille recedit: incognitus incognito censetur homo: sed Iesus eum invenit in Templo; quoniam amor vehemens, non solùm quærit hominem fugientem; quinetiam perquirit usquaque declinantem. Paralyticus obvium medicum non invenit, quia non quærebat: qui quærit, invenit; & exquirit, cui indagatio defert aliquid cõmodi. Inquisitio amoris, etsi nolint, est intuitus aliorum utilitatis: & medicus cœlestis, qui minimè perquisitus, invenitur etiam perpetim à non quærentibus. Declinavit languidus, & Iesus similiter declinavit. Interrogare de benefactore dignum erat, qui à rigida infirmitate levaverat; saltem ut monitis salutaribus instructo nõ cõtingeret aliquid deterius priore morbo. Lucet ergo charitas cœlestis, si refugit salutem amentia fragilitatis: & quamprimùm furẽter paralyticus declinat; palàm apparuit lãguido, qui minimè interrogabat. Hæc ex Paulo sumpta: videamus quæ dicit Evangelicus Propheta.

Vers. 13.

Non sanctum quærit hominem fugientem, sed declinantem.

Occurrit amor ut inveniatur, dum non quæritur.

Rom. 10. 20.

8 *Invenerunt, qui non quæsierunt me.* Qua igitur via, si tantùm qui quærit, invenit? Inquisitio solicitudinẽ notat: & diligentiam exquirentium levat; quoniam, quæ videntur obvia ipsis negligentibus casù, fiunt ex proposito. Transit igitur Iesus, ut diximus, ex industria vindicare hominem ab iniuria: cœcita-

Isai. 65. 1.

Quæ videtur hominibus casù, fit ab amoris propositò.

citatis;& visum est cunctis qui aderant,quasi actio prætereunt is. Qui quęrit,spem profectò inventionis concipit : haud satis de re incognita pretium,dum quæritur, sed dum invenitur, fit : ideo thesaurus abiconditur ; ut sibiipsi inventor gratuletur. *Quem qui invenit*, inquit, non *Qui quærit* ; ut gaudeat homo, subitæ felicitate. Et Deus dicitur inventus a non quærentes;quia repente accipit donu , quæ nec somno cogitavit speranda. Magnum quodque,quicquid habuerit solicitudinis , habet exquisiti laboris. Solicitat Amor Divinus in doniis completâ lætitiâ,expellens in inventoribus fastidiosâ molestiâ.Si quæreret,quantunvis invenirent;hæreret tædium:sine diligentia inventi commodi extollitur gaudium: & Deum inveniunt , qui non exquirunt ; ut thesauro gratiæ gaudeant, quasi qui offendunt. Perpende : Neutiquam dicitur gaudium margaritas quærentis ; & prædicatur felicitas thesauri forte inventoris.

Matth. 23. 44.

Gratius donũ in veriũ, & non quæsitum.

Matth. ubi sup. v. 44. & 46.

Ergò divinæ charitatis studio. Indagatio debet fieri , si rimatur animus , vel à longe quodlibet emolumenti : verùm & maxima, dum exploratur felicitas summa. Hoc est mutuum officiorum exercitium : scilicet , ut homo bona quærat , & Deus conferat. Faustum namque in signum cadere , dum non perquirunt : & Deum dicitur invenisse , qui non quæsierunt;quia offert & obvia hominibus dona suapte liberalitate , absque amica officiorum vicissitudine.

Deus favet suapte generositate sine mutua dignati vicissitudine.

Paralyticum Iesus invenit. Sanè quæsivit. Ad quid ergo?Ut inveniretur, Iesus invenit. Perperàm inveniretur , si non occurreret. Invenit ut inveniamus,quærit ut investigemus:nisi ille inveniri vellet, qualis solicitudo sufficeret?Cæterùm cum illo invento, fruatur cunctis bonis & voluptatibus homo; ne labore fatigetur,invenit,ut inveniatur:siquidem æstuosi pectoris haud satisfacit amori;nisi opportunè occurrat,vel aberranti.

Magni haventur beneficia, si fuerint obvia.

Quæsierunt me , qui ante non interrogabant: dixerat per Isaiam, priusquàm proferret,ut vidimus, *Invenerunt, qui nõ quæsierũt me*. Ergo quæsierunt,& non quæsierunt.Utique. Non quæsierunt beneficia;quia habuerunt obvia: & quæsierunt ; quoniam nisi eos Dominus quæsivisset ; minimè quærerent, ac necessariò nihil minùs invenirent.

Isai. ubi sup.

Sine Deo nihil.

9 Quærit igitur, inspirando inquisitionem ipsius , quia male habentibus opus est medicus. Valuit panchresto verbi tantùm, paralyticus homo;verùm cautio defuerat, ut robusta constaret valetudo:videlicet, ut non peccaret , ne deteriùs contingeret : at dum ambo mutuò se offendunt in templo , Iesus hominem invenit , & non homo : quippe in nostram utilitatem amor præpoperat , quantunvis homo celer festinanter præcurrat.

Quamvis in tranquillo valetudinis portu salvus paralyticus viveret ; sine metu recidivationis,relegueret. Ubi tenuiores vires,exacerbationes graviores infirmitatis. Duntaxat qui quærit invenit , & fortunam solertia parit. Dij facientes adiuvant, atque muneribus studiosè cumulant:& hominem improvidum recidivæ(qui erat discrimini proximus) invenit Christus;quippe priusquam pro imminenti periculo homo imploraret remedium, cœlestis præparaverat pietas alexipharmacum. Inter Christi dilectionem & hominum necessitatem iurgia præstant:amicabiliter dimicant:illa favet,& fovet: hæc quantumlibet impigra,terò venit: quoniam motus aligeri Divini Amoris,primoribus vocibus præcellit necessitudinis. Solertia nostra præ illius solicitudine infignitur pigritia. Ipsimet industriæ nostræ vigilãtiori prevalet charitatis diligẽtia:igitur quãtopere homo curis agitatus præcurrat,iam dudùm amor expectat.

Amor medicina præpoperat , tametsi sanguidusfe festinanter præcurrat.

10 Cùm Assertor noster (ait Ioannes) profecturus esset in Galilæam;*Oportebat eum transire per Samariam*. Quid ? *Venit ergo*. Perspicuè constat,quòd oportebat transitus: at quòd oportebat eum?Mulieris interest;siquidem illius conversio , ei tantùm plurimi refert : quo pacto convenit Christo mulieris vulgaris conversio,vel non conversio? O supremus amor flagrantis cordis ! Perperàm animæ rependunt vices ; quandiu quasi te oporteret , propter illas fatigaris. Illæ aberrant in via iniquitatis & perditionis ; & peccatrices diligenter exquiris?Illæ quasi nihil magni conduceret,quod plus oportet,leges de memoria pervicaciter deponunt ; & illeges crebris anxietatibus faces amoris inquirunt?Animabus igitur incumbit quærere: te dedecet illas. Utinam vel molestijs invenias!Illas,aut te oportet?Me.Utilitas animãrum mihi commodum : siquidem angores dulciter perferuntur; modò à quibus, & prò quibus fatigor,inveniantur.

Ioan. 4. 4. 5.

Quærit fatigatus Iesus hominem quasi se oporteret.

Venit ergò in civitatem , & fatigatus ex itinere,sedebat sic fatigatus supra fontem.(*Sic fatigatus* suum locum habebit)*Venit mulier*. Fige pedem.Venit Iesus, & illicò mulier venit. Poterat, cùm sit Dominus omnium, ita moderari pernicitatem ordinatam temporum, ut ad fontem ille , & illa simul accederent,& una venirent:cur ergo priùs fonti Iesus appropinquat,quàm mulier accedat? Fatigatur anxius , ne mulier accedat priùs. Opportunus illi videbatur articulus ocasionis,ut rutilaret excellentia dilectionis in homines

V. 5 & 6.

Ad complexus ignitissimi amoris invitat;nõ his confiderantibus tolleranti am quæ nos spectat.

mines singularis , & grates persolverent dignas , amplectentes pœnitentiæ molestias: equidem ad redamandum , vel saxea pectora provocat,contemplari tolerantiam, qua nos expectat. Hispan. *Mueve à abrazar los rigores de la penitencia , viendò los hombres el amor con que aguarda.*

11 Puteus aquarum viventium , quæ fluunt impetu de vulneribus, Salvator exponitur cunctis hominibus;ut allecti (in gravitate languoris & pœnis) funiculis charitatis, hauriant cum gaudio salutem de fontibus Salvatoris. Ille invitat , sed homo recusat. Amor monet , at cor suasionem obstinatum reijcit , quia neque in quo hauriat habet , & puteus altus est.Quanvis homo pusillanimis gradum revocet;amor constanter persistit: & patienter expectat(scieus conditionem variabilem) utrùm homo pœnitudine ductus, veniat ad fontem.

Sedet estrò fatigatus est gaudio, nùm quispiã accedat homo.

12 Adhuc supereminet amor. Venit mulier , postquàm venerat Iesus. Ut mulier peccatrix ad fontem veniret,& hauriret gratiam salientem in vitam æternam ; Iesum *oportebat* transire per Samariam. Multo magis infirmam oportebat , siquidem languore lubrico laborabat:& ita opus erat,& dignum quòd prima accederet , & sanitatẽ diligentiâ reciperet : cæterùm cùm amor præveniat necessitatem ; ut occasio demonstraret summæ charitatis conditionem,Christus expectando affuit , dum mulier venit. Dedecorat venustatem amoris,si prævalet cursu velocitas necessitudinis. Maiorem charitatem nemo habet : supra fontem dum mulier currebat , sedet:& fatigatus appropinquat fonti; ne præoccuparetur à muliere. Non stupes homuncio ! Minimè contemplaris vocantem misericordiam ? Indurasti faciem tuam supra petram.Non frustrà fatigetur virtus Dei.Ignoras , quoniã eius benignitàs ad pœnitentiam te adducit ? Fatigatus Iesus sedet. Non frustrà fatigetur. Fatigatur ? Et propter nos fatigatur. Amor maiestatem negligit,& quidlibet audet.

Dedecorat præstantiam charitatis cursus ocyoris necessitudinis.

DIDASCALIA IV.

Dum caro videtur,videtur & Verbum.

1 AMbrosius astruit lib. 2. in *Luc.* circa medium. Ascendit super nubẽ,levẽ, conciliantem Divinitatis radios; & ẽn stat,qui pridẽ ipse prospiciebat per cãcellos.Deus absconditus dicitur:& videt non visum,nec visibilem, nisi invisibiliter homo? Videt, quia humanitas Salvatoris apparuit. Sol spectatores non habet,nisi dum deficit:& ut videretur,defectus nostræ conditionis misellæ tulit. In splendoribus sanctorum lucis inaccessibilis latebat gloria: modò revelavit condensa : & moderatà copiâ radiorum , siquidem

Ambro

Humanitas Christi Divinitatis est index

——— *Corpus mortale tumultu*
Non tulit æthereos.

Ovid.

(Ut canit Publ.Ovid. *Metam.* lib.3.*Fab.*3.) qui Deus ignotus; similis hominibus ad nos descendens , indicatur manifestus.

Vadam & videbo visionem hanc magnam, dum Dominus apparuit in flamma ignis de medio rubi,dixit Moyses. Pergit,ut rimetur portentum,ac in illo visionis insuitatam magnitudinem ; & *abscondit Moyses faciem*. Si videndi gratiâ procedit , vultum abscondit? Opus est orbitate perspicuiorum oculorum, ut perspicuiùs speculetur portentum.*In rubo* (ait Philo lib. 1. de *Vita Moys.*) *erat forma pulcherrima, nulli visibili similis, divinum simulachrum luce clarissima.* Aptè cæcutit,cui videre licet. Forma pulcherrima,humanitas est unita Verbo: luce clarissima (utpotè fortiori sensibili) non videt homo : at ut videat Moyses magnam visionem , operosè , ac opportunè obtegit faciem : quandoquidem nulli mortalium visibilis, clariùs videtur velamine humanitatis. Nobilior ergo obtutus, dum caligat oculus : & sanè visio magna , ut qui caret formà , videatur & à cæcis formà pulcherrimà. Simulachrum Dei nunquàm extitit. *Solus enim Christus est plena imago Dei* (asserit Ambros. lib.10.in *Luc. cap.*22.) *propter expressam in se paternæ claritudinis unitatem* ; & tandem Moyses prospicit invisibile divinum simulachrum ; dum per umbram intuetur speciosum formà præ filijs hominum.

Exod. 3. 3.

V. 6.

Phil.

Deus invisibiliter videtur.

Ambro

2 Totus Deus occupatus dicitur in hominis formatione, idest, animæ substantiâ & corporis aptissimâ effigie;utpotè qui cætera verbo, hoc opus complevit opere. *Effigiem Dei formamque quærere,imbecillitatis humanæ reor.* Ait Plin.*lib.* 2. *cap.* 7. Ne imbecillis esset;qui in forma Dei erat,effigiem hominis induit. Tanti est fabrica? Tanti. Aliquando Deus homo , unde qui totus sensus , totus oculus,totus auditus,totus sui, & totus animæ , totus animo inest in structura hominis; ut homo absconditam perciperet Deitatem, per imaginem hominem. Verbum divinum cognoscitur,dum in carne baiulata, & baiulante videtur:quoniam etsi corpus non sit divinitatis imago;est tamẽ in quo relucet imaginis pulchritudo. Ut Christum cæcus à nati-

Plin.

Humanitatis latum est in Divinitatem collyrium aptum.